



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LXV. Te decet hymnus Deus in Sion. &c. Carm. gen. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Et sæuo laqueos consilio parant:
 Inter seq; loquuntur,
 Nemo conscius hæc scies,
 Cor, mens, ingenium, consilium, labor,
 Huc tendunt, facies ut scelerum nouas
 Et fraudum meditentur:
 Hoc unum studium fuit.
 Ast illos subiti cuspide spicali
 Incautos feriet magna Dei manus:
 Et lethalia certa
 Figet uulnera dextera.
 Spectantes gelidus corripiet timor,
 Auctori exitium quum uideant suæ
 Virum immittere linguæ
 Viro sæ mala toxica.
 Gens humana tuæ robora dexteræ
 Agnoscet, meritis laudibus efferet:
 Et mirabitur altæ
 Lumen perspicientiæ.
 Iusti spes animos eriget, & Dei
 Tutus præsidio, lætitia fremet:
 Et gaudentia corda
 Vero simplice gestient.

PSAL. LXV. Te decet hymnus Deus in
 Sion. &c. Carm. gen. 5.

TE manent laudes Deus in Sione:
 Hic tibi castis operata sacris
 Vota gens soluet tua, uictimisq;
 Imbuet aras.
 Quiq; tam præsens tibi supplicantium

H iij

Exitus uotis tribuas secundos,
Te petent gentes sub utroq; mundi
Axe iacentes.

Nostra nunc iustis scelerata facta
Nos premunt pœnis: facilis querelis
Tu tamen flecti, mala seruitutis
Vincula franges,

O quater plusquam quater ô beatos
Quos leges, lectos facies amicos;
Ut colant puri tibi dedicati
Atria templi,

Illa lux felix, cumulata cunctis
Lux bonis, pectus satiabit ægrum
Gaudio, quæ nos reduces sacrata
Sistet in æde,

Annues nostris facilis querelis,
Finium terræ Deus ultimorum
Spei & extremas maris ambientis
Gurgite terras,

Tum stupor mentes quatiet tuentum,
O Deus nostræ columen salutis,
Te malis durum, miseris benignum,
Omnibus æquum,

Tu potens rerum, ualidisq; pollens
Viribus, firmas stabili catena
Montium tractus, iugaq; inquietis
Tunsa procellis.

Tu maris nigris agitata uentis
Terga componis: cohibes rebelles
Gentium motus, placidaq; mutas
Pace tumultus.

Vltimi

Ultimi rerum tua signa norunt,
Et colunt fines, quoties coruscis
Turgidum flammis fremuit sonoro
Murmure cælum.

Quiq; Phœbæos habitant ad ortus,
Et quibus sera face Phœbus undas
Tingit, auctorem te hilares fatentur
Lucis & umbræ.

Tu solum terræ sitientis imbrem
Lætus inuisis, grauidaq; nubis
De sinu fundis genitale pigros
Semen in agros.

Alueus pleno tibi semper amne
Turgidus læta nouat arua fruge,
Floribus campos, nemorum uirentes
Fronde recessus.

Roretu leni sola contumacis
Maceras terræ, subigisq; glebas:
Ebrios sulcos uiridante amictu
Messis in umbras.

Qua feres gressus, renouabis annum
Fertilem frugum: uegetansq; fœtus
Per cauas ualles riguosq; saltus
Impluet humor.

Gestiet pauper tuguri colonus,
Lacte distentas comitans capellas:
Mugient colles, & amica fessis
Silua iuuenicis.

Spes aratoris cupidas fouebit
Fluctuans latis seges alma campis:

Vt canat festa tibi feriatuſ

Carmen in umbra.

PSAL. LXVI. *iubilate Deo omnis terra, etc.*

Carm gen. 19.

Incolæ terrarum ab ortu
Solis, ultimum ad cubile,
Eia Domino psallite,
Eia Domino iubilate:
Nomen eius, numen eius
Ferte in astra laudibus.
Dicite illi, Rector orbis
Sancte, quàm stupenda rerum
Est tuarum gloria!
Quanta uirtus! qua proteruos
Mente fracta cogis hostes
Supplices procumbere.
Te parentem læta honoret,
Te potentem prona adoret
Tota rerum machina.
Voce blanda te canamus,
Barbito dulci sonemus,
Carminumq; cantibus.
Eia adeste, facta cunctis
Cernite admiranda sc̄clis:
Acriterq; expendite
Facta prouidi parentis,
Facta Domini consulentis
Arte mira seruulis.
Vertit æquor æstuoſum

Aridæ